

*Carlo duca di Calabria assegna alcune
terre a Fulcone e Guglielmo Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Carlo duca di Calabria assegna alcune
terre a Fulcone e Guglielmo Ruffo*

1325-12-11

Carolus Illustris Ierusalem et Sicilie Regis Ruperti primogenitus, Dux Calabrie, ac eiusdem vicarius generalis, generalibus Capitanei et Iustitiariis Calabrie presentibus et futuris fidelibus paternis et nostras salute, et dilectione sinceram. Ad presidentis spectat officium iurgia tollere, dissidia amputare, sicque prudenter agere, sue iurisdictionis opportuno presidio, ut dum facultas contendendi de facto tolletur concertandi noxia materia sapiatur

Sane oblata nobis pro parte Domini Fulconis, ac domini Guglielmi de Sinopolo fratrum, familiarium et fidelium paternorum, atque nostrorum petitio continebat, quod cum ipsi iuste, a rationabiliter teneant, et possideant subscriptum tenimentum, subscriptis loco et finibus designatum per se, ac alios eorum nomine possidentes. Universitas hominum Civitatis Giracii, eos a possessione dicti tenimenti turbat indebite, ac multipliciter inquietat, non permittens eos ipius tenimenti pacifica possessione gaudere. Super quo provisionis nostre remedium, suppliciter extitit imploratum. Nos ergo nolentes quem piam in suis Iuribus iniuste opprimi, vel gravari, fidelitati vestre precipiendo mandamus, quod si premissis veritas suffragatur. Vos presentes Capitanei et Iustitiariis, prenominationis fratres super possessione dicti tenimenti, quod iuste tenent et possident, ut prefertur, iusti favoris presidio, manuteneatis, protegatis, et viriliter defendatis homines Universitatis eiusdem, a quibusbet indebitis super hoc inferendis de cetero molestiis, eturbationibus, omnino desistant, dictosque fratres, ac quoslibet alios pro eisdem pacifica dicti tenimenti possessione gaudere permittant, per penalia, alique iuris opportuna rimedia compulsuri usque aliis successive futuri, quandium

eisdem iusta causa duraverit, eos modo simili protegatis, manuteneatis et defendatis in illa. Ita quod ulterius inde vobis scribere non cogamur. Dictum vero tenimentum situm esse dicitur in quarterio Sancti Pauli de pertinentiis dicte Civitatis Giracii, iuxta litus maris, divisa Sancti Martini, flumen Elice, et si qui alii sunt confines.

Presentes autem litteras post opportunam inspectionem earum, presentanti restitui volumus efficaciter in antea valituras. Datum Neapoli per Dominum Rugerium Marchisium de Salerno hospitii nostri iudicem domesticum, consiliarium, familiarem, et fidelem paternum et nostrum. Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto, die undecimo decembris, none inditionis. Regnorum dicti nostri patris anno decimo septimo.

Segue sulla c. 49v: 1326. Istrumento fatto dall'Università di Sinopoli pregando la reggia Maiestà per l'Abbate Romano al quale il vescovo havea usurpato diversi diritti. Va con le scritture di San Bartolomeo.